

clericalicis edita, tam recusa a Ruinarto, & denique in Actis Sanctorum a Cl. P. Guilielmo Cupero, continuatore Bollandi ad diem 17. Julii illustrata. Gloriosi illi Martyres in agone dicebant: *Deo gratias conferimus, qui dignatur nos HODIE Martyres ACCIPERE IN COELIS pro confessione sua.* Sive, ut in aliis Actis legitur: *Hodie Martyres in Celo sumus.* Sie ventientes ad locum martyrii, gladio beatas Deo Animas tradiderunt. Dominus vero Jesus Christus suscepit Martyres suis in Pace. Neque minus præclaras, immo longe præclariora sunt, quæ de Martyribus in Deciana persequitione Anno Christi cclad æternam Vitam translati, scripsit S. *Dionysius Alexandrinus Episcopus*, omnium, qui suo tempore floruerint, celeberrimus & doctissimus in Ecclesia Catholica Antistes & Scriptor. Quæ tunc contingere sub oculis suis, perscripsit ille ad Fabium, sive Fabianum Episcopum Antiochenum; eisque Epistolam servavit nobis Eusebius Cæsariensis Lib. vi. cap. 41. & 42. Histor. Ecclesiast. En quid S. Vir post tantæ lanæ narrationem in calce ejusdem Epistole subjungit: *Ceterum. inquit, hi divini Martyres, QUI NUNC ASSESSORES SUNT CHRISTI, & REGNI illius CONSORTES, ac judicii participes, una cum ipso judicaturi, dum hec apud nos essent, quesdam e Fratribus lapsos, et idolis sacrificasse convictos suscepserunt.* Accedat nunc Burnetus, & Justorum veterum Animas hinc emigrantes arceat a Cœlo, atque ad miserrimum quasi seponere eas damnet, nondum a tot Sæculis excitatas, neque post complura Sæcula excitandas, ac dubia hac de re, aut inconsulta quorundam antiquorum dogmata pretendant. Aliam plane tunc suisse mentem Catholicae Ecclesiæ, quæ jam attulimus, satis prodidere. Luceulentissime vero eadem confirmata heic habemus ab insigni Religionis Christianæ Scriptore Dionysio Alexandrino, cui nullum e suis pagilibus (quod est ad rectum de rebus Theologicis judicium) Burnetus æquet, & cui non immerito antiquitas Magni cognomentum detulit. Quanquam & per se quisque facile dignoscet, non aliam quam istam potuisse tunc regnare in Catholica Ecclesia doctrinam. Si tunc Burnetus quispiam vixisset, suamque de statu Mortuorum opinionem disseminans Fidelibus persuasisset: quis amabo, ad mortem pro Christo oppeterendam ruisset, immo quis non ab ea fuisset absteritus? Non alia de causa tam intrepidi ibant, tam alacres festinabant ad supplicia milites Christi, ipseque tenellas Virgines, nisi quia communè Sanctæ Religionis dogma erat, confessum post gloriosum agonem Animas ad Coronam, ad Dominum, atque in Cœlos migrare, ubi Beatitate ac Vistone Dei fruerentur. Hujuscemodi certos nos facit magnum Ecclesiæ lumen Sæculo Christianæ Aætate iiii. prælaudatus *Dionysius Alexandrinus*. Atque hinc etiam haurimus, non aliter Ecclesiam, quam nos supra, suisse interpretatam Apostoli verba, cupientis dissolvi et esse cum Christo, sive peregrinari a Corpore, et praesentes esse ad Dominum; uti & alia Apocalypses, & Evangelistarum atque Apostolorum verba, quæ supra delibavimus, non